

lesti, verum præstigiatorium sine lavacro aquæ & sine Verbo contractum: CONTEMPLATIO, quam Domini Spirituales ab oratione, prout volunt, & prout ipsis videtur, distinguunt, & hanc tamen in meditativam, affectivam & infusivam, cum Poiretto subdistinguunt. Prisci quippe contemplativam vitam activæ i. e. practicæ & communi, ad Theologiam moralem forinsecus ductam, attinenti, virtutumque & officiorum Christianorum exercitia complexæ, multis parasangis anteponunt; id quod vel ex Lutheri scriptis posterioribus apparet. Neoterici autem ejusmodi spirant contemplationem, quæ omnem intellectum excludat; quæ circa Deum sine consideratione SS. Triados versetur, sicque adeo pura sit & perfectissima. Philosophis quidem certe contemplatio est actus intellectus *speculativus*; Mysticis vero est *practicus*, ad voluntatem potius, & quidem sublimatam, quæque intellectum in contemplando antevertat, præcipue attinens. Ita proinde amant distinguere cogitationem, meditationem & contemplationem, ut cogitatio ad objectum abeat, sed lento pede, & sæpe huc atque illuc vagetur; meditatio per ardua & aspera progrediatur ad directionis finem, atque ad eum magna industria nitatur; contemplatio vero libero volatu ad Divina sancto quodam impetu feratur, & in suo objecto amorese conquiescat. Proinde, ajunt, cogitationem esse sine labore & fructu; meditationem esse laborem cum fructu; contemplationem permanere sine labore & fructu. Has certe institutiones Mysticorum impuriorum, in quibus falsum istud principium, falsum medium, & falsum finem, de quibus in præfamine locuti sumus, supponunt, merito volumus explosas. Modicum quippe fermenti totam massam fermentat; & semel plenius attracta contagies nihil sani relinquit. CORDIS THEOLOGIA, prout Theologiæ Scripturariæ opponitur, præter orationem etiam continet ac postulat mortificationem sensuum, appetitus, memoriæ, intellectus & voluntatis, ut adeo Vacuum Mysticum ex his omnibus fiat; ipsaque in activam & passivam dispescitur. Exigit juxta quosdam, ut homo quærat suam ipsius ignominiam, ut abneget ea quoque, quæ ad salutem sunt necessaria,